

n. 2. D. XXIV. et s. Thomam in p. q. XCV. a. 1. et alios sequimur, qui iustitiam originalem cum gratia gratum faciente ita coniungunt, ut obedientia partis inferioris ad superiorem, a gratia gratum faciente, quae partem superiorem Deo obsequentem reddebat, veluti a fonte et radice dependeat. Sive autem gratia gratum faciens dicenda sit pars originalis iustitiae, sive tantum radix et causa, non multum ferre videtur. »

IV. Ex his satis liquet non esse definitum penes omnes Theologos quid nomine iustitiae originalis significetur, quid non significetur, ideoque de ratione ipsa et definitione originalis iustitiae non consentire universos, ut ait Molina loc. cit. Nihilominus 1) facile concedunt et ii, qui aliter sentiunt (cf. testimonium Suarez superius citatum), posse nomine iustitiae originalis significari totalem rectitudinem, in qua primus homo creatus fuit, ut proinde et gratiam sanctificantem complectatur. 2) Distinctio haec iustitiae originalis a gratia videtur orta ab ea opinione, quae negabat Adamum in ipsa creatione auctum fuisse gratia sanctificante; quo factum fuit ut nomen iustitiae aut innocentiae determinaretur ad significandam eam rectitudinem tantum quam Adamus ab initio habuit, cum diceretur iustitia vel innocentia *originalis*. Ea enim rectitudo potest dici innocentia vel iustitia tum negative quatenus caret omni culpa, tum positive, quatenus aptissima est ad servandam innocentiam, ut Suarez declarantem audivimus. Porro ea opinio, quae negat Adamum ab initio insignitum fuisse gratia sanctificante, relinquenda est, ut vidimus. 3) Commune est Theologis cum s. Anselmo De concep. Virgin. c. 3. peccatum originale definire privationem *iustitiae originalis*, quo nomine iustitiae proprie non immunitatem a concupiscentia, ceterisque malis, sed sanctitatem intelligunt (cf. Bellarminum De Amis. grat. et stat. peccati L. V. c. 17.); quam loquendi rationem et ii recipiunt, qui disputantes de statu primi hominis, iustitiam originalem presse sumptam a gratia distinguunt; ut videre est in Suarez De peccato origin. Disp. VIII, Sect. 2. n. 19.; qui cum statuisset peccatum originale per se esse habitalem aversionem a Deo sine supernaturali, fideoque privare iustitia, seu, quod idem est, caritate et gratia, quatenus haec convertunt hominem ad ultimum finem supernaturalem, scilicet Deum, subdit: « ex hac conclusione intelligitur quo sensu dixerit Anselmus originale peccatum esse privationem iustitiae originalis; quem secuti sunt Thomistae, 1. 2. q. LXXXI, Bonaventura, Scotus et alii in 2. Dis. XXX et seq. Alensis 2. p. q. CXXXII; qui sub iustitia originali gratiam sanctificantem comprehendunt. Quocirca intelligendum est primum effectum originalis iustitiae fuisse subdere animam Deo, id est illam

convertere ad supernaturalem finem... Solum ergo privato iustitiae quantum ad primum effectum qui est quasi primarius et essentialis, pertinet ad essentiam peccati originalis. »

Ex his omnibus arbitramur constare satis quod Theologorum communis usus nedom non obstat, sed et favet acceptioni huic termini, iustitiae originalis, qua nimirum intelligatur universa rectitudo in qua conditus est Adamus.

V. Itaque status ille, in quo conditus est primus homo, iure appellatur status iustitiae originalis. Et primo iure dicitur status, quia est conditio humanae naturae per se stabilis et ex se in perpetuum duratura, lege divinae sapientiae firmata. Tum *status iustitiae*, quia est status sanctitatis per gratiam gratum facientem, quae est vera iustitia, atque praeterea status est rectitudinis, quae consistit in habituali subordinatione inferiorum virium ad superiores. Tandem *status iustitiae originalis*; quia hic status iustitiae ab origine naturae habitus est, et semper in natura perseverare debebat, qualis fuit in origine, atque per originem sive generationem singulis individuis naturae communicari.

## ARTICULUS II.

### DE ELEVATIONE ANGELICAE NATURAE AD STATUM SUPERNATURALEM LAPSUQUE ANGELORUM MALORUM

— 183 —

#### Thesis LVIII.

*Quod de humana natura affirmavimus, id de Angelica quoque natura ex divina revelatione tenendum est, eaeque nempae fuisse ad ordinem supernaturalem adoptivae filiationis et destinationis ad aeternam beatitudinem.*

1. Quod Angeli eaeque sint ad filiationem adoptivam, et idcirco destinati sint ad aeternam beatitudinem, testatur primum Scriptura. Nam ex Scriptura novimus Angelos videre intuitive Deum. Math. 18, 10; Tobiae 12, 15, 19; Apocalyp. 1, 4; Daniel 7, 10; Scriptura rursus docet quod homines, apicem perfectionis adepti, futuri sint sicut Angeli Dei in caelo: Math. 22, 30; quae verba: erunt sicut Angeli Dei in caelo, accipienda esse non tantum prout excludunt



officium nuptiarum, sed etiam prout significant statum illum beatitudinis a quo nuptiae sunt excludendae, tum ex eo quod aduertitur quod ea verba exhibere videantur rationem cur homines non amplius post resurrectionem nubent; ita enim eadem Christi sententia refertur a Luca 20, 35. 36. Illi vero qui digni habeantur seculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores; *neque enim* ultra mori poterunt, *aequales enim* Angelis sunt, et filii sunt Dei; atqui ratio cur nuptiae non amplius habeant locum est conditio propria status beatitudinis; haec autem significatur dicendo quod homines erunt similes Angelis, ergo Angeli obtinent eundem statum. Tum idem probatur ex interpretatione Patrum, qui beatitudinem nostram iis verbis Christi exprimunt quod erimus similes Angelis, vel eiusmodi. Ita Ambrosius De Spir. S. l. 4. c. 7. « Intelligendum est quod creatura quidem superior Angelorum sit, quae plus recipit gratiae spiritalis; eiusdem tamen et erga nos et illos munus auctoris est. Quanta autem gratia, quae praemis Angelorum etiam inferiorem creaturam humanae conditionis exaequet? Sicut Dominus ipse promisit dicens. Eritis sicut Angeli in caelo. » Augustinus epist. ad Paulinam c. 8. « Hoc nobis summum praemium in resurrectione promittitur, quod erimus aequales Angelis Dei: ac per hoc, si nec ipsi Deum vident sicuti est, quomodo nos ita visuri sumus, cum eis aequales in resurrectione facti fuerimus? » Scriptura praeterea docet Angelos multi in ministerium propter eos qui hereditatem capient salutis; atqui absomum est arbitrari Angelos qui Deo ministrant pro hominum salute, qui homines custodiunt et regunt ut salutem consequantur, non sint in eo ordine, illumque statum obtineant, in quo homines reguntur. Ambrosius loco citato: « Cum Angeli hominibus in adiumentum descendant, intelligendum est, quod creatura quidem superior Angelorum sit, quae plus recipit gratiae spiritalis. » Scriptura etiam ait Angelum malum non stetit in veritate Ioan. 8, 44; angelos malos non servasse suum principatum Iudae 6; atqui iuxta loquendi Scripturae morem stare in veritate, statum illum rectitudinis significat, qui proprius est filiorum Dei, qui amicitia Dei continetur (cf. epist. 2. Ioan. 4. et epist. 3. eiusdem.) Leo Magnus Serm. de Quadrag. 10. c. 2. « Et quia ipse (diabolus) in veritate non stetit, totamque naturae suae gloriam, dum superbit, amisit, dolet hominem Dei misericordia reparari, et in bona, quae ipse perdidit, introduci. » Ex quo liquet principatum, quem non servarunt Angeli, qui vinculis aeternis reservantur in iudicium, eo quod non servaverint illum, esse vel completi etiam statum filiorum Dei, quem amiserunt Angeli, quemadmodum homines ii, quos a Deo pariter punitis Iudas commemorat. Tandem Scri-

ptura eas appellationes Angelis tribuit quae dignitatem adoptivae filiationis certe significant. Et enim vocantur *Sancti* Tobiae. 10, 11. Marci 8, 38; Lucae 9 26. *Filii Dei* Iob. 1, 6; 2, 4; *Angeli lucis*, cum Satanus dicatur transfigurare se in Angelum lucis 2. Cor. 11, 14. porro lux est quae opponitur tenebris, a quibus erepti translati sumus in admirabile lumen Dei; lux est secundum quam fideles et iusti dicuntur *filii lucis* l. Thessal. 5, 5. *ambulare in luce* 4. Ioan. 1, 7. *esse in luce* 4. Ioan. 2, 9.

II. Patrum hac in re consensus certissimus est. Praecipua doctrinae eorum capita sufficiat innuere. Docent quippe Angelos esse sanctos per Spiritum S. quemadmodum nos. Basilii lib. de Spir. S. « Merae et intelligibiles virtutes sanctae tum sunt tum nominantur, ex gratia per Spiritum S. sanctimoniam naetae; sanctificatio enim non est absque Spiritu. » Damascenus De Fide l. 2. c. 3. « Per verbum omnes Angeli creati sunt, et spiritu sanctificante consumptionem acceperunt, ut pro sua quisque dignitate et ordine splendoris gratiaeque essent participes. » August. De Civit. Dei l. 12. c. 9. « Confitendum cum debita laude creatoris non ad solos sanctos homines pertinere, verum etiam de sanctis Angelis dici posse quod caritas Dei diffusa sit in eis per Spiritum S. qui datus est eis. « Fulgentius ad Trasimund. l. 2. c. 3. « Non alia gratia stantem Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa quae lapsum hominem post ruinae potuit reparare. Una est in utroque gratia, operata in hoc ut surgeret, in illo ne caderet. » Chrysost. Serm. 55. de futurae vitae deliciis. « Conservationem ac vitae rationem angelicam (Christus) offerens venit, ac terram in caelum convertit, eaque mandat, quae similes reddant incorporeis virtutibus eos qui ea perficiant, atque homines facit Angelos, ad spem caelestium rerum vocans. » Docent praeterea per redemptionem Christi homines fideles effectos esse socios Angelorum. Ambrosius in ea verba Apocalyp. c. 19. vide ne feceris, conservus enim tuus sum, et fratrum tuorum, ait: « Redemptio siquidem Sanguinis Christi hoc fidelibus contulit, ut filii Dei socii Angelorum efficerentur. Ideo pertimescit Angelus adorari ab homine, qui super se adorabat hominem Deum: quapropter conservam se Ioannis ceterorumque fidelium vocabat. » Gregorius M. hom. 8. in Evang. « Quid est quod ante Redemptoris adventum Angeli ab hominibus adorantur, et tacent; et postmodum vero adorari relinunt? Nisi quod naturam nostram, quam prius deseperant, postquam hanc supra se assumptam conspiciunt, prostratum sibi videre pertimescunt. Nec eam sub se velut infirmam contemnere ausi sunt, quam supra se, videlicet in caeli rege, venerantur. Nec habere dedignantur hominem socium,



qui supra se adorant hominem Deum. » Ex quibus et illud patet rationem unicam propter quam natura humana praestet Angelicae hanc esse secundum Patres, eo quod natura humana sit unita hypostaticae Verbo; quod quidem verum non esset, si nos filii Dei adoptivi essemus, illi non essent. Docent tandem ex Angelis et hominibus iustus unam constitui Ecclesiam quae Deo cohaeret Deumque colit. August. in Enchirid. c. 36. « Ecclesia hic tota accipienda est, non solum ex parte, quae peregrinatur in terris... verum etiam ex illa, quae in caelis semper, ex quo condita est, cohaesit Deo... Haec in sanctis Angelis beata persistit, et suae parti peregrinanti, sicut oportet, opitulatur: quia utraque una erit consortio aeternitatis, et nunc una est vinculo caritatis; quae tota instituta est ad colendum unum Deum. » Neque plura afferre est opus, cum hanc sententiam et frequentes proter liturgicae Ecclesiae, et omnium fidelium sensus praeseferat.

III Hunc statum in quo constituti sunt Angeli fuisse eis supernaturalem constat ex dictis in Th. XXXVII, quod et testimonia Patrum haec allata confirmant. Huc autem facit damnatio quarundam propositionum Baii nimirum: nec Angeli, ne primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia. — Et bonis Angelis, et primo homini, si in statu illo perseverasset ad ultimum vitae, felicitas esset merces et non gratia.

IV. Verum difficultas aliqua suboriri potest ex verbis s. Thomae in 1<sup>a</sup> p. q. LXII Docet profecto aa 1. 2. felicitatem, qua videtur Deus sicuti est, esse supra cuiuslibet intellectus creati naturam, Angelosque indignis Dei gratia ad hoc quod converterentur in Deum, prout est obiectum beatitudinis, conversionemque hanc eis esse supernaturalem. At in art. 1. distinguens duplicem beatitudinem, naturalem unam, supernaturalem alteram, ait, « quod quantum ad primam beatitudinem, quam Angelus assequi natura sua potuit, fuit creatus beatus, quia perfectionem huiusmodi Angelus non acquirit per aliquem motum discursivum sicut homo, sed statim ei adest propter suae naturae dignitatem. » Ex quibus verbis haec nascitur quaestio triplex, 1) an Angeli ab initio fuerint vere beati beatitudine naturali; 2) an id reapse voluerit docere s. Thomas; 3) quaenam fuisset beatitudo naturalis Angeli, si euectus non fuisset ad beatitudinem supernaturalem.

Quoad 1. negandum est Angelos fuisse simpliciter beatos beatitudine naturali ab initio existentiae suae. Ratio evidens est: beatitudo naturalis creaturae intelligentis, praeter certam cognitionem intellectus qua perficitur, postulat quietem appetitus, atque id postulat, quia beatitudo est: unde si desit ea quies, sed appetitus in aliud

ordinetur, quaecumque sint bona, quae possidentur, beatitudo non erit, ideoque nulla erit beatitudo naturalis, remoto enim genere, speciem quoque removere necesse est. Atqui Angelus ordinatus erat ad visionem Dei, eamque appetebat; ergo quies deerat in eius appetitu: ergo. Quare etsi habuisset Angelus ab initio eam perfectionem intellectus quam naturaliter nedum in via, sed et in termino assequi potest; habuisset quidem beatitudinem naturalem materialiter: at non formaliter, quia defuisset quies subiecti ordinati ad ulteriorem perfectionem. Et sane duplex finis seu duplex beatitudo nequit esse creaturae intelligenti praestituta; Angelus ordinatus erat ad finem supernaturalem: ergo non habuit finem aut beatitudinem naturalem.

Quoad 2. Cum sit absque dubio doctrina s. Thomae, ad beatitudinis statum postulari quietem appetitus, et remoto genere removeri speciem, Angelosque exstitisse in statu viae antequam visionem Dei consequerentur, manifestum est nequaquam s. Thomam censere Angelos fuisse ab initio in statu beatitudinis. Si vero beatitudo accipiatur materialiter, ut scilicet in beatitudine sumatur tantum bonum quod possidetur, videri potest s. Thomas censere Angelos in statu viae ad beatitudinem supernaturalem potitos fuisse ea cognitione quae fuisset eorum perfectio ultima in statu naturae. Verum neque hoc diserite dicit, neque argumentum quod affert id probat; et satis esse videtur, si inspecta vi argumenti dicatur intellectum Angelicum eam perfectionem ab initio obtinuisse quam naturaliter in statu viae assequi aut exigere potest, quae, etsi maior, respondet illi perfectioni quam homo per longum discursum in hac vita obtinere potest, in qua Aristoteles a Thoma hic citatus beatitudinem hominis collocat.

Quoad 3. Quemadmodum certum est visionem intuitivam Dei esse supernaturalem cuius intellectui creato, et ideoque etiam Angelico, ita certum esse debet beatitudinem naturalem Angelici intellectus in alia cognitione Dei constitendam esse a visione intuitiva, quae cognitio proinde sit abstractiva. At difficile est determinare cuiusmodi sit haec cognitio, quae facere satis possit Angelo existenti in termino. Verum difficultas ex eo oritur quod nos notitiam minime adaequatam, imo satis obscuram habemus perfectionis Angelici intellectus: unde nihil mirum si et hoc definire nescimus. Cf. quae dicta sunt in Th. XLIII, III, ad 2.

V. Quaestio tandem fieri potest utrum in ipso instanti creationis Angelici aucti fuerint gratia sanctificante. Affirmative respondent ii omnes qui tenent primos homines (Th. L.) creatos fuisse cum gratia. Quod et Augustinus docuit Civ. Dei I. 12. c. 9. « Istam (bonam voluntatem Angelorum) quis fecerat nisi ille qui eos cum bona vo-



luntate, idest cum amore casto, quo illi adhaerent, creavit, simul in eis et condens naturam, et largiens gratiam? » Et sane si hoc homini concessum est, ratio suadet quod et Angelis tributum fuerit, qui, cum in ordine naturae sint homines perfectiores, in ordine gratiae non sunt eo generatim inferiores.

### Thesis LIX.

*Certum est plures ex Angelicis spiritibus peccasse, nulloque iis facto reparationis et poenitentiae loco, e supernaturali statu, in quo divinitus constituti fuerant, irreparabiliter excidisse.*

I. Angelos aliquos peccasse factum est quod revelatione constat. Peccatum enim Angelorum testatur Christus Ioan. VIII, 44. Vos ex patre diabolo estis et desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit; testatur Ioan. 1<sup>o</sup>, III, 8. qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat; testatur Petrus 2<sup>o</sup>, II, 4. Angelis peccantibus non pepercit: testatur Iudas 6. Angelos, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in iudicium magni diei vinculis aeternis sub caligine reservavit.

II. Constat quoque revelatione plures fuisse Angelos qui peccaverunt. Cum plures dicimus, non intelligimus multitudinem Angelorum peccantium maiorem fuisse aut parem aut paulo inferiorem ea, quae fidelis Deo perseveravit, sed intelligimus multitudinem quamdam simpliciter magnam et numero Angelorum, hoc est multitudinem, quae ex usu communi cogitandi hominum haberi solet ut magna. Porro id liquet si advertatur daemones esse Angelos eos qui peccaverunt, sunt enim daemones Angeli mali, obnoxii ei, qui e caelo cecidit, qui in veritate non stetit; hos autem plures esse ostendimus Th. XXIII. Quod et Patres Scriptoresque Ecclesiastici frequenter testantur cum malos daemones *exercitum* Satanae appellant, ut Iustinus Apologia I, 28: aut ingens agmen, ut Nazianzenus carm. 6. cum iis *plenum esse aera istam* dicunt, qui caelum et terram medius dividit, ut Hieronymus in comm. ad Ephesios c. 6, 12. ut *eorumdem densitate* consipatus sit aer, ut loquitur Cassianus Coll. 4. c. 12; cumque *innumerales* eos esse affirmant, ut Eusebius De Praeparat. Evang. l. 7. et Damascenus De Fide l. 2. c. 4. Consentiant Theologi, ut videre est penes Suarez De Angelis l. 7. c. 17.

III. Cum Angeli peccare poterant, adhuc erant in statu viae. Porro hunc viae statum pro Angelis peccatoribus absolutum iam pridem fuisse, et nunc in statu perpetuae damnationis versari certum est, idque diserte Scripturae docent et Patres. Quamvis enim non pauci veterum arbitrentur supplicium ignis in inferno non subituros Angelos nisi post iudicium, tamen dilationem tantummodo alicuius actualis supplicii haec doctrina affirmat; non vero affirmant generatim ii veteres dilationem cuiusque poenae qualis est et privatio visionis beatificae, et deturbatio e caelo in hunc caliginosum aera; multoque minus docent suspensam adhuc esse sententiam iudicii Dei, ita ut valeant adhuc Angeli, qui peccaverunt, respicere et in gratiam Dei redire. Ita Iustinus Apolog. 1, 28; « Princeps malorum daemonum est Satanas, quem una cum exercitu eius, et assectantibus hominibus in ignem missum iri Christus praemonstravit; ut in infinitum aevum exercentur. Etenim mora interposita quominus id Deus hucusque perficeret, propter humanum genus contigit, praevidet enim quosdam salutem consecuturos » (lege Petavium De Angelis l. III, c. 4). Itaque Scriptura neque unquam reparationis futurae Angelorum malorum mentionem facit, et aperte significat Angelos eos iam destinatos esse ad aeternum supplicium, ideoque etiam nunc privatos esse beatitudine visionis ipsius. Id liquet ex testimoniis Petri et Iudae allatis, cum quibus conferri potest Matth. XXV, 41. Ite in ignem aeternum, qui paratus est (*τρομασμενον*) Diabolo et Angelis eius; nam verba: *qui paratus est*, nequeunt significare tantummodo vel destinationem quae tum in die ultima fiat, vel destinationem quamdam ab initio factam sed hypotheticam, quatenus nimirum decretum esset ut si peccassent Angeli igne torquerentur aeterno; etenim, si hic sensus foret, nulla ratio appareret cur fieret specialis mentio Diaboli, nam eodem modo et malis hominibus paratus fuit ignis infernus. Significant ergo ea verba destinationem quamdam absolutam, quae peccatum Angelorum subsecuta est. Mentio autem fit diaboli et Angelorum eius, ut significetur, puto, quod cum homines peccando voluntatem diaboli faciant, eique se subiciant, eadem poena ac ille plectuntur, quam ipse prior peccato suo promeritus est. Destinati ergo absolute fuerunt Angeli praevaricatores ad ignem, existunt ergo iam dudum in statu damnationis. Nullus proinde iis reparationis et poenitentiae locus.

IV. Quaestio fieri potest utrum, cum existerent Angeli in statu viae, fuerit ipsis concessus poenitentiae locus post peccatum ita ut status viae protractus fuerit amplius quam tempus illud, quo primum peccaverunt: an primo admissa ab illis peccato, nulla spes veniae facta sit illis, statusque viae statim desierit. Quamvis nonnulli



Patres videantur arbitrari statum viae Angelorum peccantium non desiisse statim post primum peccatum; tenendum tamen est cum communi sententia, quam tenent Theologi, unico peccato admissio absolutum fuisse statum viae Angelorum eo quod negatus iis fuerit poenitentiae locus. Sane haec sententia ex ea doctrina dependet quae statuit redemptionis gratiam concessam fuisse hominibus, non Angelis (lege Petavium de Incarnat. l. XII, c. 10), atque quoad hoc specialem prae Angelis erga homines misericordiam adhibuisse Deum. Si enim Angelis peccantibus facta est spes veniae, et poenitentia concessa: vel gratia reparans et iustificans impios collata ipsis est ex meritis Christi, quia pro illis quoque satisfecerit, vel gratuita liberalitate Dei, nulla condigna satisfactione soluta, iisdem oblata. Atqui utrumque alienum est a communi certaue doctrina. Nam primum redemptionem Christi communem quoque Angelis praevicantibus faceret, alterum maiorem misericordiam Dei erga Angelos quam erga homines poneret. Ergo. Ita in hanc rem disputat Petavius De Angelis l. III, c. 3. n. 14. « Quod emergendi a peccato copiam illis esse factam, antequam e caelo pellerentur, aliqui putant, id est absurdum. Quaerendum est enim, num quem existimant ex illo rebellium numero respicuisse, et in bonorum gradum fuisse restitutum. Si aliquem dixerint, ridebimus. Si nullum, mirum hoc et incredibile iudicabimus, ne unum quidem ex tanta multitudine reperitum esse, qui oblatam gratiam admitteret. » Quae habet Suarez in l. VII, c. 1. De Angelis, probari satis nobis non possunt.

Tandem constat peccatum Angelorum antiquum esse, et praeventisse peccatum protoparentum. Etenim, ut ait Ioannes, ab initio Diabolus peccat; nec inducere potuit satanas parentes nostros in peccatum, nisi ipse prius ab amicitia Dei descivisset.

### Thesis LX.

*Quamvis evidentibus argumentis dirimi quaestiones quaedam non possint, quae ad statum viae speciemque peccati Angelorum spectant; nihilominus haec cum schola nobis tenenda videntur: cum instantia durationis Angelicae per successivos actus distinguantur, altero instanti ab eorum creatione statum viae Angelorum fuisse absolutum: peccatum Angelorum fuisse formaliter superfluum: Certum est autem principem aliquem inter eos existitisse.*

I. Sane res sunt in facto positae, quorum notitiam certam sola revelatio suppeditare potest; at ex fontibus revelationis nihil derivari potest quo sententia altera in duabus quaestionibus, quas subdimus,

ita statuatur, ut eius opposita falsa dicenda sit; quod ex variis, quoad huiusmodi quaestiones, opinionibus Patrum, ipsorumque Theologorum confessione liquere potest. Cf. Suarez De Angelis l. V. c. 11. et l. 7. c. 8. Petavium de Angelis l. III. c. 3. n. 17.

II. Durationem Angeli metiri possumus extrinsece per tempus cui coexistit conservatus Angelus, et ita possumus distinguere diversa instantia temporis, in quibus existit Angelus. Intrinsicce vero cum nulla sit realis successio in essentia Angeli, sicut nec in ceteris naturis, sed solum in motu, nequeunt in essentia Angeli diversa instantia distingui realiter. At actus eius immanentes, cum simul non sint, seriem quandam successivam constituunt, quae solet dici tempus, non quidem continuum, sed discretum sive interruptum, quia singuli termini huius seriei, h. e. actus, sunt ab invicem distincti. « Instantia diversa in his quae ad Angelos pertinent, non accipiuntur nisi secundum successivam in ipsorum actibus », ait S. Thomas q. LXII. a. 5. ad 2; ut dicatur primum instans reale existentiae Angelicae, quod primo actui respondet, secundum, quod secundo, et ita porro. Iam vero non est cogitandum quod duratio actus angelici ea debeat esse quae respondeat instanti nostri temporis, potest enim actus perseverare in existentia, ideoque coexistere parti plus minus latae temporis. Imo, cum operatio est complexa, seu completitur actum intellectus et voluntatis, potest prior esse aliquis actus intellectus, tum succedere actus voluntatis, ac rursus alius actus subsequi intellectus imperatus a voluntate, quem voluntas rursus excipiat, quae omnia cum unam completam operationem circa aliquid determinatum constituant, possunt accipi ut unus actus unumque instans. Patet ergo quod cum dicimus Angelos secundo instanti peccasse, et excidisse a statu supernaturali, non dicimus Angelos peccasse cum coexistenter illi instanti temporis nostri quod foret secundum ab illo cui initium eorum existentiae coexistit. Potuit duratio Angelorum ante casum longius produci, quia idem actus perseverare in ipsis potuit.

III. His declarationibus gratia breviter praemissis, ita suadetur prima pars Thesis. Distinguere licet in voluntate Angeli sicut et in nostra actum primum indeliberatum ab actu deliberato. Iam vero actus cognitionis et volitionis indeliberatae potuit esse in Angelo simul ac creatus est, actus quidem cognitionis quatenus determinaretur eius intellectus specialiter a Deo, et actus indeliberatae volitionis quatenus excitaretur a notitia intellectus voluntas erga illud quod ab intellectu proponebatur. Potuit nempe creari a Deo intellectus angelicus non in statu purae potentiae sed in actu, determinatione accepta ab ipso Deo movente illum ad actum: cum cogni-



tionem autem actuali potest simul esse actus aliquis voluntatis. Actus ille cognitionis determinatus a Deo etiam quoad exercitium distinguitur ab aliis actibus cognitionis, quorum exercitium voluntas potuit deinceps determinare: et actus deliberatus voluntatis distinguitur ab indeliberato, praesertim si adversatur ei. Quapropter cum existit motus deliberatus voluntatis, et cum existit motus cognitionis determinatus ab imperio voluntatis, novum instans Angelicum fuisse dicendum est. Primum itaque instans Angelorum absolvit ea notitia intellectuali, quam intellectus habuit motus specialiter a Deo, atque actu indeliberato voluntatis cum notitia consequente. In eo instanti Deum Angelus apprehendit supernaturali cognitione per infusum lumen Fidei. Quaestio ergo locus est primo quoad Angelos malos: an in his Angelis actum illum primum indeliberatum subsequens sit immediate actus deliberatus pravus, an potius eum secutus sit actus deliberatus bonus, quem postea exceperit alius actus deliberatus malus. S. Thomas respondet nullum actum deliberatum bonum existisse in voluntate Angeli mali, ideoque actum deliberatum pravum immediate secutum esse post actum indeliberatum, et sic peccasse Angelum in secundo instanti. Hanc esse doctrinam s. Thomae liquet dependenti quae tradit q. LXIII, a. 5. et 6. Etenim docet 1) Angelum non potuisse peccare in primo instanti, atque hanc assert rationem, quia operatio, quae simul incipit cum esse rei, est ab agente seu causa eiusdem rei, cum autem Deus sit causa Angelorum, et nequeat Deus esse causa peccati, vel inducens ad peccatum, sequitur quod primus actus Angelorum non potuerit esse peccatum. Docet 2) probabilis esse quod Angelus statim post primum instans peccaverit; quia « cum Angeli per unum actum meritorium ad beatitudinem perveniant, si diabolus in primo instanti, in gratia creatus, meruit, statim post primum instans beatitudinem accepisset, nisi statim impedimentum praestitisset peccando. » Igitur haec est doctori Angelico probabilior sententia quod nullus actus deliberatus bonus fuerit in Angelis malis. Circa quam sententiam quaeri possunt duo: 1) utrum s. Thomas reapse admiserit actum indeliberatum voluntatis in primo instanti Angelorum. 2) Utrum recte probet s. Thomas nullum actum meritorium fuisse in diabolo.

Ad 1) responsio est affirmativa, eaque liquet ex iis quae habet a. 6. in responsione ad 3. « Angelus habet liberum arbitrium inflexible post electionem: et ideo nisi statim post primum instans, in quo naturalem motum habuit ad bonum, impedimentum beatitudinis praestitisset, fuisset firmatus in bono. »

Ad 2) ratio S. Thomae immititur huic principio quod Angelus uno actu finem suum consequitur. Hoc principium ab eo probatur q. LXII,

a. 3. eo quod « proprium est naturae angelicae quod naturalem perfectionem non per discursum acquirat, ut contingit in natura rationali, sed statim obtineat; animae enim humanae, ut ait q. LVIII, a. 3. quae veritatis notitiam per quendam discursum acquirunt, rationales vocantur. Quod quidem contingit in eis ex debilitate intellectualis luminis. Si enim haberent plenitudinem intellectualis luminis, sicut Angeli, statim in primo aspectu principiorum totam virtutem eorum comprehenderent, intendo quidquid ex eis syllogizari posset. » Perfectio ergo intellectus Angeli est ut uno actu acquirat sibi notitiam omnium naturalium obiectorum; atque ita pariter perfectio voluntatis est ut uno actu adhaerent bono sibi convenienti, suoque fini. Et quia, ut ait q. LXII, a. 5. « gratia perficit naturam secundum modum naturae »; ideo « statim post unum actum caritate informatum Angelus beatus fuit ». Iam vero principium hoc, quamvis certum non sit, est tamen saltem probabile. Cum ergo potuerint Angeli uno actu mereri beatitudinem, quod quidem et in hominibus contingere potest et conforme maxime sit eorum naturae ut uno actu se ad eius assecutionem disponant; probabile putamus cum s. Thoma ita res a Deo institutas fuisse, ut Angeli uno actu, ideoque primo deliberato mererentur beatitudinem, vel ab ea in aeternum exciderent.

Quoniam vero argumentum istud valet generatim in omnibus Angelis, dicendum est pariter instans illud in quo Angeli boni ad Deum libere conversi sunt eique immobiliter adhaeserunt, fuisse alterum a primo.

IV. Quaeritur cuiusmodi fuerit peccatum Angelorum. Si quaestio fiat quodnam peccatum potuerint Angeli peccare, concedendum est Vasquezio quod potuerit peccare Angelus non solum superbia aut invidia, sed et aliis peccatis, e. g. iniustitia, odio etc. (cf. eius disputationes in q. LXIII, 1. p.). At si quaestio facti fiat, quodnam primum illud peccatum Angelorum fuerit, communior est Patribus et Theologis sententia, fuisse superbiam. Communior inquam Patribus; nam omissis iis qui stuprum excogitarunt, non pauci sunt, qui potius crimen invidiae erga homines Angelis malis adscribunt. Quia vero, ut Augustinus monet, invidia ex superbia nascitur (de Genesi ad litt. L. XI, c. 14); hinc censere licet hos Patres ab aliis re ipsa non dissidere; cum arbitrari liceat eos, qui invidiae mentionem faciunt, superbiam praevertentem supposuisse. Nam et Augustinus identidem invidia diabolum eedidisse affirmat (Tract. V, in Ioan.); contendit tamen invidiam ex superbia gigni. Illud autem est advertendum quod, cum Patres de invidia aut superbia quae Angelos peccatum loquuntur, potissimum et fere semper loquuntur explicite de peccato



cato illius Angeli, qui primus fuit et dux ceterorum (lege Petavium de Angelis L. III, c. 2. 3.). Communis est ergo sententia primum Angelum superbia peccasse.

Superbia est inordinatus appetitus excellentiae sui, cuius actus obiectum materiale est ipsa persona, formale obiectum est eiusdem personae excellentia indebita, quam quis ex inordinato amore sui appetat, vel in qua existimata delectetur contemnens subiectionem Deo prout haec propriae excellentiae adversa consideratur. Cum haec quodam actu proprie intenduntur, habetur superbia speciale peccatum, quod non est adeo frequens; neque enim cum ambitione, vanagloria aut praesumptione confundendum est. Saepissime vero superbia dicitur ea quae est generale peccatum, seu generalis modus cuiusque peccati: in quovis enim peccato quidam virtualis appetitus inordinatus suae excellentiae et quidam virtualis contemptus subiectionis debita Deo continetur. Cf. II, q. CLXII, et subtilis commentariis ibid. Caietani.

Peccatum quidem Satanae in statu viae fuisse superbiam, Scripturae quoque testantur sive implicite cum dicunt initium omnis peccati esse superbiam (Eccli. X.) et in superbia initium sumpsisse omnem perditionem (Tob. IV.), sive explicito cum dicit Apostolus neophytum non debere esse episcopum, ne in superbiam elatus in iudicium (h. e. damnationem) incidat diaboli (1. Tim. III, cf. Hieronymum epist. ad Oceanum). Plurimi Patres hae quoque referunt verba Isaiae XIV, 4 seqq. contra regem Babylonis, et Ezechielis XXVIII, 11 contra regem Tyri, quae de diabolo interpretantur (lege Petavium l. c.). At quaestio fieri potest an Scriptura et Patres loquantur de superbia prout est speciale peccatum, an potius de superbia prout est generale peccatum: quatenus voluntas recedendi a Deo, et detrectatio debita subiectionis legi Dei superbia quaedam est.

Censemus autem Patres de superbia prout est speciale peccatum locutos esse. Nam si tantum superbiam cogitasset, quae est modus quidam peccatorum, fecissent utique mentionem alterius peccati Satanae quocum superbia eius connota fuit; at Patres qui peccatum Satanae superbiam fuisse affirmant, solius superbiae mentionem faciunt. Theologi pariter cum s. Thoma in id consentiunt quod peccatum Satanae fuerit superbia prout est speciale peccatum. Et certe ipsa ratio id suadet. Oportebat enim Angelum in secundo instanti existentiae suae se libere ordinare in Deum eique se libere subicere, quod si fecisset, fuisset beatitudinem consecutus; omissio vero huius liberi actus vel orta est ex amore alterius boni veliti, quocum amore veluti consequens nexa erat aversio a Deo, et negatio subiectionis, vel orta est immediate ex amore sui, cui non placuit ista subiectio.

Hic autem modus peccandi est plenior rebellio et efficacior recessio voluntatis a Deo. Probabile porro est peccasse hoc modo Satanam; nam non solum hic modus possibilis fuit, sed et apprime, ut ita dicam, consentaneus naturae spiritus puri, qui tum solis bonis intelligibilibus allici ad peccandum potest, inter quae potissimum est excellentia sui, cui ceterorum amor subordinatur, tum praeterea hunc finem, per se latentem et implicitum in quovis peccato, is propter vim perfectam sui intellectus plene apprehendebat, et per aequalem vim suae voluntatis plene amplectebatur; ergo. Cf. Vasquez l. c. Hoc peccatum vero superbia est proprie dicta.

Quoad peccatum aliorum Angelorum, constat primo Satanam quodam modo induxisse alios ad peccandum. Nam in Scripturis quaedam subordinatio instituitur inter Satanam et ceteros daemones Matth. XXV, qui paratus est diabolo et angelis eius: Apocalyp. XII, Draco pugnabat et angelis eius: at ratione naturae nullus angelus est alterius; sicut nec homo est alienus angeli, licet eo sit natura inferior. Propter operationem vero si quis alteri sponte se dedat eumque sequatur, eius esse dicitur. Ceteri ergo Angeli Satanam sunt secuti, h. e. libere ipsum sunt imitati, eique conformes esse maluerunt. Exemplo ergo praeivit Satanas et exemplo suo fuit occasio ut ceteri peccarent, aut etiam allexit ad peccandum.

Constat secundo quod peccatum eorum non secus ac peccatum Satanae fuit superbia; nam eadem ratio valet pro omnibus Angelis, et si exemplo suo Satanas alios ad peccandum pellexit, ad idem peccatum induxisse dicendus est.

V. Quaestio autem fieri solet quid specialim appetiverit Angelus malus, cum inordinatae appetit excellentiam propriam. Non una est Patrum Theologorumque sententia, neque aliquid certi statui potest. Theodoretus Serm. 3. cont. Graecos vult eos « minime iis donis contentos quae sibi ab conditore praestita fuerant, sed maiora quaedam appetentes, superbiae labem admisisse. » Cyril. Alex. in Isaiae c. XIV, v. 13. Luciferum ait « tumida et turgida cogitasse, qui honorem et gloriam soli summae naturae congruentem rapere concupivit, quantum molimine et vi, et animo poterat. » August. C.v. Dei I. 22. c. 4. ait » Angelos desertores fuisse per elationem, qua ipsi sibi ad beatam vitam sufficere vellent. » Gregorius Nazianzenus elationem Luciferi in eo ponit (Carmine 7. dogmatico) quod « magni Dei regnum honorem sperasset. » Hieronymus in Ezechielem 28. in eo collocat quod « non esset contentus scientia quam acceperat, nec potestate, cui praepositus erat. » Auctor epistolae ad Demetriadem inter opera Ambrosii, superbiam Diaboli ita declarat, nempe « quoniam sua, quam a creatore acceperat, potentia et dignitate sibi



placuit, seque auctori suae gloriae comparavit. » Prudentius vero in *Hamartigenia* culmen superbiae ei tribuit, inquires quod alius elatus « persuasit propriis genitum se viribus, ex se materiam sumpsisse sibi, qua primitus esse inciperet, nascique suum sine principe caecum. » Gregorius M. *Moralium* l. XXIX, c. 7. ait: « solus Altissimus dominatur super omnia, et alteri subesse non potest: quem Diabolus imitari perverse voluit, cum suum dominium quaerens ei subesse recusavit. » Bernardus serm. 1. De Adventu vult « ipsum Altissimi similitudinem usurpare tentasse. » Quam similitudinem ita explicat Anselmus De Casu Diaboli c. 4. « Contra voluntatem Dei, inquit, hoc voluit inordinate similis esse Deo, quia propria voluntate, quae nulli subdita fuit, voluit aliquid. » At Rupertus Tuitiensis De Victoria Verbi Dei l. 1. c. 8. ita exaggerat hunc divinae similitudinis appetitum. « Non sufficit ei tanta largitas Creatoris, nisi idem diceretur vel existimaretur de ipso quod de Deo, nisi adoraretur ab Angelis ut Deus, nisi praedicaretur et ipse increatus. Negavit quippe Deum esse creatorem suum et dixit se esse Deum. » Guillelmus Parisiensis in 1. p. 2. p. De Universo, c. 99. seq. statuit peccasse superbiam Diabolum, quia, non ut servum decebat, subiectus esse Deo, sed ut filius, liber ac sui iuris esse, ac processerit omnibus voluerit. » Quae quidem est tum mitissima, tum definita satis sententia.

Sententias plurimum Theologorum enumerant Suarez et Vasquez locis citatis. Nam quidam docent Luciferum peccasse per nimium et inordinatum affectum suae beatitudinis naturalis, quam intensius amaverit quam debet, in eaque quiescere voluerit avertens se a beatitudine supernaturali. Alii docent fuisse inordinatum affectum beatitudinis supernaturalis, quam sine meritis consequi voluerit. Alii existimant illum, cum a Deo didicisset humanam naturam ad consortium divinitatis assumendam esse, id iniquo animo tulisse, ac noluisse Deo homini reverentiam exhibere. Quae sententia Petavio non probatur, eo quod « non videatur probabile tanto ante patefactum hoc Angelis mysterium, neque sine gravissimo argumento, quod nullum est omnino, vaticinari de re tanta fas esse arbitror » inquit ipse l. c. c. 2. Ipse Suarez putat Luciferum eo peccasse quod excellentiam unionis hypostaticae appetiverit inordinate suae naturae, quae est sententia singularis satis.

S. Thomas 1. p. q. LXIII, a. 3. ex loco Isaiae XVI, 13. colligit Angelum peccasse appetendo similitudinem Dei; tum negat primum Angelum appetivisse esse ut Deus per aequiparantiam, qua in re facile consentientes habet fere omnes Scholae Theologos; ratio est quia naturali cognitione id videbat Angelus esse impossibile. Tum

statuit Diabolum appetivisse esse ut Deus per similitudinem. Sed id dupliciter appeti potest; nempe vel in eo in quo aliquid natum est Deo assimilari, quod si debito modo appetatur, nullum peccatum est; vel in eo, in quo non potest haberi assimilatio cum Deo, ut si quis appeteret vim creativam. Porro ait « hoc modo Diabolus appetiit esse ut Deus, non ut ei assimilaretur quantum ad hoc, quod est nulli subesse simpliciter, quia sic suum non esse appeteret, cum nulla creatura esse possit nisi per hoc quod sub Deo esse participat. Sed in hoc appetiit indebite esse similis Deo, quia appetiit ut finem ultimum beatitudinis id ad quod virtute suae naturae poterat pervenire; avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quae est ex gratia Dei. Vel si appetiit ut ultimum finem illam similitudinem, quae datur ex gratia, voluit hoc habere per virtutem suae naturae, non ex auxilio divino secundum Dei dispositionem... Et haec duo quodammodo in idem redeunt, quia secundum utrumque appetiit finalem beatitudinem per suam virtutem habere, quod est proprium Dei. Quia vero quod est per se est principium et causa eius quod est per aliud, ex hoc etiam consecutum est, quod appetiit aliquem principium super alia habere, in quo etiam perverse voluit Deo assimilari. »

Ex his sententis sententia Guillelmi et sententia s. Thomae probabiliore nobis videntur; ceterum in dubiis prudenter quisque eligat quod sibi magis arridet; haec enim proposita a nobis sunt, non ut aliquid definiremus, sed potius ut aperto ante oculos campo acueremus appetitum ingrediendi et expatiandi in illo.

VI. Inter Angelos malos aliquem primas tenere, et velit principem esse, opinio erat Iudaeorum, quae se prodit ex verbis Pharisaeorum Matth. IX, 34; XII, 24. In principe Daemoniorum efficit Daemonia. Eadem sententia colligitur ex verbis Christi respondentis Pharisaeis; Omne regnum divisum contra se desolabitur... et si Satanas Satanas eicit, quomodo stabit regnum eius? quae innunt societatem quandam ad modum regni inter ipsos Angelos malos, cuius regni Satanas sit rex. Idem colligitur ex verbis Christi Matth. XXV, 41. et ex Apocalypsi Ioannis XII, 7. ubi distinguitur Satanas ab Angelis aliis malis, qui dicuntur Angeli eius; eius autem esse non possunt, nisi quatenus aliquo modo ei sint obnoxii: quemadmodum in praec. parte declaravimus. Quoniam sit ratio huius principatus, et qua in re collocandus sit, disputant Theologi. Res eo redire videtur quod, quemadmodum Satanas excellentior fuit inter peccantes (sententiam quod Lucifer fuit aliis omnibus Angelis praestantior, commentum vocat Petavius, vulgus antepenitentium oppositae neganti) et suo exemplo aut etiam exhortatione ceteros ad peccandum alle-



xit, ita tum ratione suae perfectionis naturalis, tum eo quod ceteri in peccando ipsum veluti duces secuti sunt, princeps quoque eorum in statu poenae existat: cui sponte, vel etiam Deo volente in poenam eorum rebellionis, subiciantur. Quia vero mali sunt, hominesque impagnare permittuntur daemones; in eo videntur subiecti esse principi suo, ut ab eo se regi sinant eiusque voluntati obsequantur in hominum impagnatione.

Scholion. Ex peccato Angelorum libera eos praeditos esse voluntate satis constat. Quaeri potest an verum sit voluntatem Angeli post electionem immobiliter adhaerere rei electae, et proinde poenitentiae incapacem esse. Id quidem videtur censuisse Damascenus De Fide L. II. c. 3. inquit: « Poenitentiae ideo minime capax est (Angelus), quia corpore vacat. Nam quod homo e vitiorum caeno emergere atque ad meliorem frugem se convertere queat, id ob corporis imbecillitatem est consecutus. » Verum haec ratio potius docet cur Deus voluerit locum poenitentiae concedere hominibus prae Angelis, quam quod Angelum non potuerit poenitere. Idem ob aliam rationem censuisse videtur Thomas (q. LXIV, a. 2.) qui disertis verbis negat flexibile esse ad oppositum Angeli arbitrium post electionem, et ideo negat poenitentiae eos esse capaces; atque id ex eorum natura repetit. Nimirum vis appetitiva proportionatur apprehensivae in omnibus, a qua movetur sicut mobile a motore; porro homo per rationem apprehendit mobiliter discurrendo de uno ad aliud: angelus vero apprehendit immobiliter per intellectum, sicut et nos apprehendimus immobiliter prima principia, quorum est intellectus. Quare fit ut voluntas hominis adhaereat mobiliter alicui; voluntas autem Angeli fixe et immobiliter. Verum in H. D. 7. a. 2. aliam huius immobilitatis voluntatis in malo rationem addit petitam ex divina iustitia, « quae decrevit ab eis gratiam non esse adipiscendam propter culpae gravitatem, per quam possent a malitia sanari; et ideo daemones sunt obstinati in malo. » In quaestione autem XVI De Malo a. 3. ad 13. concedit quod Deus « secundum absolutam potentiam posset mutare voluntatem Daemonis in bonum, » nempe in alio ordine divinae providentiae potuisset Deus collata gratia Angelum peccantem revocare ad bonum. Quare impossibilitas haec potius quam ex rei natura, petenda est ex statu, in quo, iuxta ordinem praesentis providentiae, post primum peccatum statim sunt Angeli. Cur ego s. Thomas arguit impossibilitatem hanc ex natura ipsa voluntatis Angelicae? Non quidem ut demonstret repugnare voluntati Angelicae mutationem post factam electionem, sed ut ostendat esse in natura Angeli specialem rationem cur voluntas eius immobiliter adhaereat bono quod elegit, ex perfectione intellectus et

voluntatis petitam; et ideo rationem aliquam congruentiae reddat, cur noluerit Deus Angelis peccantibus poenitentiae locum praestare. Ceterum tenendum est voluntatem finitam etiam post electionem, praesertim si electio non fuerit conformis rectae inclinationi naturae, mutabilem semper esse; nam in ea voluntate adsunt omnia elementa necessaria ad hanc mutationem: nempe potestas cognoscendi et iudicandi quod mala fuerit electio, quia ad hoc sufficit intellectiva vis quae manet, potestas in voluntate eliciendi alios actus, quae potestas in voluntate finita semper adest, quae per plures actus se exercet, et potestas approbandi et volendi quod intellectus indicat, quae profecto manet. His vero simul compositis constat potestas volendi oppositum ei quod prius voluntas elegit.

### Thesis LXI.

*Ad Angelos bonos quod spectat, constat eos mitti in ministerium, eaque missione quae proprie est creaturae intelligentis. Licet autem sua probabilitate non careat sententia negans spectare ad omnes Angelos destinationem ad hoc ut pro opportunitate mittantur, probabiliorem tamen censemus sententiam oppositam quae ab hac destinatione neminem Angelorum excludit.*

I. « Ille mitti dicitur, ait s. Thomas I. p. q. CXII, a. 1. qui aliquo modo ab aliquo procedit ut incipiat esse ubi prius non erat, vel ubi erat, per alium modum ». Haec altera missio, qua quis ab alio procedit ut ubi erat incipiat esse alio modo, divinis personis competit, et haec sola competere potest; iam enim per immensitatem suam actu suo ubi-cumque esse possunt. Prior vero missio, qua aliquis ab alio procedit ut incipiat esse ubi prius non erat, propria est creaturae, quae loco est definita, et quidem creaturae intelligentis; missio enim, de qua loquimur, ea est per quam qui mittitur, suo consilio et sua libertate pergit quo mittitur. Omissa missione propria divinarum personarum, alteram sic exponit Suarez De Angelis L. VI. c. 9. Missio proprie dicta Angelorum fit per mutationem personae missae novum locum acquirendo. *Terminus eius proximis est localis praesentia, quae ad alium finem vel effectum ordinari potest. Ratio cur novus locus ad propriam Angelorum missionem requiratur, est, quia qui mittitur incipit esse alicubi; iam vero vel incipit esse tantum novo modo, vel simpliciter quia prius ibi non erat. Atqui illud est proprium divinarum personarum, quae immensae sunt: Angeli vero circumscripti sunt, nec omne simul spatium occupare possunt: ergo Angelus ea missione mitti potest, quae sit cum mutatione locali: et*



cum ita mittitur, dicitur propria missio, quae scilicet proprie obtinet in creaturis, cuiusmodi sunt Angeli. Chrysost. hom. III. in Epist. ad Hebr. « Missus est quidem et Filius, sed non tanquam minister, sed ut Filius et unigenitus, eiusdemque cum Patre voluntatis. Vel potius non ille est missus, quippe ad locum e loco non transit, sed carnem suscepit. At illi loca mutant, et priora, in quibus erant, relinquentes, ad alia migrant ». Duplex porro distingui potest missio, *visibilis* et *invisibilis*, tum ex parte personae missae, tum ex parte effectus, tum ex parte modi seu imperii quo Angelus mittitur. Ex parte personae missae, cum ea se visibilem praebet, vel non. Ex parte effectus, cum effectus, qui a persona missa producitur, extrinsecus apparet, vel non. Ex parte imperii quidem missio est ordinarie invisibilis quia fit per imperium Dei quod est invisibile nobis; si quando vero ipsum imperium Dei ad aliquem Angelum per aliquod signum sensibile manifestetur homini, etiam ex hac parte missio erit visibilis. Cf. Zachariam II, 2. seq. Elementa ergo missionis tria; ex parte mittentis, *imperium*; ex parte missi, *mutatio loci*, tum actio, quam Angelus exercet ibi, quae est *finis missionis*.

S. Thomas aliam divisionem missionis Angelorum statuit, quae parum Suaresio probatur. Distinguit nempe et ipse s. Doctor a. 2. ad 1. missionem Angelorum in visibilem et invisibilem; sed norma veluti usus missione divinarum personarum, missionem invisibilem vocat eam quae est secundum intellectuales effectus, prout scilicet Angelus illuminat alium. Haec autem missio potest haberi citra mutationem localem. Missionem visibilem vocat, quae est ad aliquod ministerium circa corporalia exhibendum. Non placet Suaresio ea missio invisibilis ita definita, quia missio creaturae requirit mutationem localem, ut ipse ait. Possunt tamen haec duae sententiae facile componi, ut missio quae est sine mutatione locali dicatur minus propria vel analogae. Neque s. Thomas contendit utramque esse eiusdem rationis.

Missione hac propria, quae est cum mutatione locali, Angelos mitti a Deo Scripturae frequenter testantur. Cf. Gen. XXXII, 1; 4 Reg. XIX, 36; Luc. I, 11, 26; Apocal. XVI, 1, XVIII, 1: aliaque testimonia; in quibus Angeli ire, venire, descendere, et unde venerint redire dicuntur, quae sensu verae mutationis localis, cum de natura finita sermo est quae finitum tantum spatium occupare potest, accipienda esse exigit nus ipse loquendi, Patrumque interpretatio. Cf. Chrysostomum modo citatum et Athanasium mox citandum, quibus cum Damascenus consentit (De Fide L. II, c. 3) inquitens quod « cum a Deo in terram mittuntur, in caelo non remanent ».

Mittuntur autem Angeli in ministerium. Nimirum, ut ait s. Thomas a. 1. « actio, quam Angelus missus exercet, procedit a Deo, sicut a primo principio, cuius nutu et auctoritate Angeli operantur, et in Deum reducitur sicut in ultimum finem. Et hoc facit ratione ministerii. Nam minister est sicut instrumentum intelligens. Instrumentum autem ab alio movetur, et eius actio ad aliud ordinatur: unde actiones Angelorum ministeria vocantur; et propter hoc dicuntur in *ministerium mitti* ».

II. Quaestio est utrum hoc missionis munus ad omnes prorsus Angelos pertineat. Non est quaestio de sola possibilitate, certum est enim posse quemcumque Angelum a Deo mitti; neque est quaestio de puro facto, quod omnes aliquando mittantur reapse; nam qui affirmant omnes Angelos mitti, neque volunt, neque profecto possunt hoc factum contingens cum certitudine affirmare. Quaestio est ergo de aliquo quod intercedit inter puram possibilitatem purumque factum, illudque potius rite designari per *destinationem*. Nimirum, quandoquidem, ut supponimus, ex quadam lege universali et constanti Dei sunt Angelis singulisque Angelorum ordinibus sua munera et officia attributa, quaeritur utrum inter munera et officia ex hac lege omnibus Angelis tributa hoc quoque existat ut mittantur, quando oporteat, ad exsequenda divina mandata. Manifestum est huiusmodi munus praevertere actionem, et in quadam habitu seu quadam conditione consistere sibi que constare posse, etsi per accidens actio et functio nunquam sequatur. Est proinde aliqua destinatio sive deputatio Angelorum ad hanc functionem, cum Deus voluerit, peragendam. Hanc destinationem necesse est ut intelligant tum qui affirmant tum qui negant omnes Angelos mitti.

Ita stabilita quaestione, dicimus probabilibus nobis esse omnes Angelos mitti, sive munus hoc missionis ad omnes Angelos spectare. Quod sane evincimus testimonio Pauli ad Hebraeos I, 4-24. Etenim inspecto sermone Pauli liquet ipsum de omnibus Angelis indiscriminatim loqui. Sunt enim ii, quibus aptat verba Psalmi: et adoret eum *omnes Angeli Dei*, ut ipse ait: porro omnes *Angeli Dei* sunt omnes omnino nullo excepto. Sunt ii, quos Deus *Spiritus* facit iuxta Psalmistam cum creationis opera canit; hi autem sunt omnes Angeli. Item inspecto scopo argumentationis Pauli, sponte intelligitur Paulum non loqui tantum de inferioribus ordinibus qui Angeli aut Archangeli vocantur, sed de omnibus universis Angelis sermonem habere. Vult enim probare Paulus Christi excellentiam, eamque quae maior esse non potest, quod ut exsequatur, comparat eum cum Angelis conferens simul quae de illo et de Angelis dicta sunt. Hunc esse scopum Pauli liquet ex praecedentibus, et ex ipsis argumentis



quae avert. Iam vero imbecilla esset argumentatio si a participatio ne eorum quae Christo tribuuntur, non omnes omnino Angeli excluderentur; neque enim tunc consequens foret Christum ceteris omnibus antecellere, sed tantum aliquibus. Omnes ergo Angelos nullo excepto Paulus comparat cum Christo. Iam vero de omnibus his Angelis Paulus, concludens argumentationem suam, discrete affirmat quod omnes sunt administratorii Spiritus in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Quibus verbis missio significatur, missio ad homines, ideoque missio quam propriam diximus. Neque dicas ex hac adhibita interpretatione consequens fore quod omnes Angeli *actu mittantur*. Vocabula enim *missi in ministerium*, quae sunt explicatio praecedentis, *administratorii*, non actum sed habitum seu destinationem potius significant. Sicut enim nos cum dicimus, et recte dicimus, quod Diaconi sunt ministri qui altari deserviunt, nolumus dicere quod actu semper omnesque Diaconi altari deserviant, sed solum quod sunt destinati ad hoc, iisque competit hoc munus; ita quoque accipiendus est Paulus qui, comparans dignitatem Christi cum dignitate Angelorum, de iis disserit quae habitu iisdem insunt, ut liquet ex illis quae Christo adserit.

Magnum pondus huic interpretationi avert auctoritas Patrum, qui tum ex hoc testimonio Pauli contra Arianos probant Christi divinitatem, ut Athanasius Orat. 1. cont. Arianos n. 61. « Angeli quidem rursum deorsumque commeantes, ministros se praebent; de Filio vero dicit: et adoret eum omnes Angeli eius », tum discrete docent Apostolum de omnibus loqui Angelis, ut Didymus Lib. De Spiritu S. n. 13. « In commune sermo pronuntiat non esse dictum cuique creaturae: sede a dextris meis. Et hoc in commune de creatura. Et pronuntians de omnibus invisibilibus creaturis, ait esse eos administratores spiritus. Propter quod subiecit: Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministerium missi? Licet enim non omnes singillatim invisibiles creaturae missae sunt; tamen quia eiusdem generis et honoris aeternae sunt, quodammodo et ipsae possibilitate sunt missae, missarum consortes aequalisque substantiae ».

Rursus constat ex Scriptura tum Seraphim Isai. VI, 6. tum Cherubim Genes. III, 24: missos esse: quod et Patres confirmant. Chrysost. hom. VIII. in Genes. « Non est Angelis tributum ut sint consilii participes; sed ut assistant, et ministerio fungantur. Quod ut dicas, audi magniloquentissimum Isaiam de superioribus Angelorum virtutibus loquentem: Vidi Cherubim stantia a dextris Dei, et Seraphim, et tegebant alas suas ». Hieronymus epist. 142. « Quidam Graecorum in Scripturis apprime eruditus Seraphim virtutes quasdam in caelis esse exposuit, quae ante tribunal Dei assistentes laudant

eum, et in diversa ministeria mittuntur maxime ad eos qui purgatione indigent; » quam sententiam non improbat Hieronymus. Itaque Seraphim et Cherubim sunt qui reapse mittuntur; hi autem sunt ex supremis ordinibus. Ergo.

Tandem ratio distinctionis Angelorum, in eos qui mittantur, et eos qui non mittantur, petita ex loco Danielis ubi assistentes seorsim nominantur a ministrantibus, nihil evincit; nam assistentes iidem reapse sunt ac ministrantes, assistens enim solo Principi dicitur, qui praesto est principi ad eius expicienda et exequenda mandata. Unde Athanasius Orat. II. n. 27. cont. Arianos: « Multi sunt Archangeli, multi Throni et Potestates et Dominationes, millies millia, et decies millies centena millia ministrorum assistunt et apparent, qui se promptos offerant ut mittantur ». Et sane Raphael unus est ex iis qui adstant sive assistunt ante Dominum; et tamen missus fuit.

III. Attamen Dionysius De Caelis. hier. Thomas heic pluresque alii Theologi negant omnes Angelos mitti. Quorum sententiam dicimus non carere probabilitate, saltem extrinseca propter auctoritatem horum doctorum, et quodammodo intrinseca, quatenus interpretatio ab iis adhibita verbis Pauli non est prorsus desinita ratione. Neque enim hi negant quod Paulus affirmat omnes Angelos mitti in ministerium propter salvandos; sed distincta missione, ut iam innuimus, in propriam, quam exteriorem et visibilem appellat Thomas, et in impropriam, quam interiorem et invisibilem Thomas dicit; aiunt omnes quidem a Deo mitti sed ita ut superiores missione tantum invisibili sive impropria mittantur, quatenus divinam illuminationem et mandatum inferioribus communicant, eosque mittunt, inferiores vero visibili missione missi exsequantur quod iussum est. Quae interpretatio adeo pluribus probata non est spernenda. Atque ita explicant missionem Seraphimi ad Isaiam, quod Seraphimus aliquis interiore missione ex Dei iussu miserit atque ex inferioribus Angelis, qui dicitur sit Seraphimus quia ab eo missus veniebat, eumque representabat a. 2. ad 2. Haec profecto sententia visa est probabilis s. Gregorio Magno, qui hom. 34. in Evangelia postquam ordines Angelorum, eorumque munera distinxit, subdit: « Fertur Dionysius Areopagita, antiquus videlicet et venerabilis Pater, dicere quod ex minoribus Angelorum agminibus foras ad explendum ministerium mittuntur... non vero mitti supremos Angelos. Cui rei illud videtur esse contrarium quod Isaias dicit VI, 6. » Avert deinde explanationem Dionysii, quam supra attulimus; inde ait quod huic explanationi « creditur non inconvenienter optulari quod per Daniele dicitur: Millia millium ministrabant ei et decies millies centena millia assistebant ei. Aliud namque est ministrare, aliud assistere, quia hi ad-



ministrant Deo qui ad nos nuntiando exeunt; assistunt vero qui sic contemplatione intima perficiuntur, ut ad explenda foris opera minime mittantur. Sed quia in quibusdam Scripturae locis quaedam per Cherubim, quaedam per Seraphim agi didicimus; utrum per se haec faciant, an per subiecta agmina agantur, quae, sicut dicitur, in eo quod a maioribus veniunt, maiorum vocabula sortiuntur, nos affirmare nolumus quod apertis testimoniis non approbamus. Hoc tamen certissime scimus, quia ad explendum de supernis ministerium alii spiritus alios mittunt; » citat autem Zachariam II, 3. seq. Non improbat ergo hanc opinionem Gregorius, probabilemque habet. Errant tamen qui eum inter illos collocant qui Dionysii sententiam sequuntur, cum potius ad oppositam accedat.

Dices: sententia haec innititur auctoritati Dionysii, quatenus auctor operum quae ei tribuuntur censebatur esse ille Areopagita, discipulus Pauli; quod modo reicitur.

Respondeo 1) auctor horum operum non dicit se hanc sententiam de missione Angelorum accepisse a Paulo; imo eam ut probabilem tantum proponit c. 13. eamque alterius iudicio permittit; non ergo auctoritate Pauli ab hoc auctore relati potuit inniti certitudo huius sententiae. 2) Licet, ex eo quod Pauli discipulus putaretur, maior auctoritas huic scriptori accederet, non tamen quia haec dignitas ei est detracta, omnis eius interit auctoritas; etenim propter suam doctrinam semper magni factus est in Ecclesia. Quocirca 3) falsum est probabilitatem, qua haec sententia gaudet, solius Dionysii auctoritati inniti. Ceterum auctor iste non est recentior seculo V, et forte sub initium huius seculi scripsit, ut eruditi coniectant. *Legge Dissertat. 2. Damascenicam Lequene (Migne P. G. T. 94.) et dissertationem duplicem de Rubeis alteram De fide auctoris vulgo dicti Areopagitae in edit. s. Thomae Tom. 8., alteram in Biblioth. Migne P. G. Tom. 3.*

**Thesis LXII.**

*Deus frequenter utitur opera Angelorum in rerum humanarum administratione; nominatim autem regnis, provinciis et Ecclesiis sui Angeli praesunt, atque ad particularium hominum custodiam Angeli deputantur ita ut nemo sit Angelorum ope destitutus. Errant porro qui doctrinam Ecclesiae de Angelorum custodia e veterum philosophorum fontibus derivant.*

I. Quod Deus possit per se ipsum, absque alterius ministerio, regere et gubernare res mundanas, h. e. mundum hunc physicum, nemo est qui dubitet. At divina Sapientia, quae causas proportionatas et naturales effectibus praestituit, voluit ne etiam uti opera spirituum in administratione rerum corporalium? Id affirmant ii Patres qui testantur Deum effectis a se rebus praeposuisse Angelos, qui sub ipso eas regerent et gubernarent. Ita Methodius (Bibl. Photii c. 234). « Ad hoc creati sunt, ut rebus ab ipso effectis praesent; ut a Deo commune et generalem omnium providentiam gerente, omnium dominium et potestas penderet ». Iustinus Apolog. II. n. 3. « Deus quum mundum universum fecisset, et terrena hominibus subiecisset et caelestia sidera, quae et ipsa hominum gratia liquet ab eo facta esse, ad proventum frugum et ad temporum vicissitudines adornasset, divinamque iis legem sanxisset; hominum ac rerum sub caelo positarum curam Angelis, quos ad hoc munus instituit, commisit ». Athenagoras Leg. pro Christianis n. 24. « Hoc consilio Angelos Deus creavit, rebus scilicet a se creatis providens, ita ut universam quidem Deus et generalem omnium procreationem gereret; eam autem, quae partes attingit, instituit ad hoc munus Angeli sustinerent ». Augustinus Lib. LXXXIII QQ. q. 79. « Unaquaeque res visibilis in hoc mundo habet potestatem Angelicam sibi praepositam, sicut aliquot locis divina Scriptura testatur ». Secundum hanc doctrinam Hermas in L. Pastoris. Visione 4. c. 2. Angelos quoque bestis praepositos docet: « Propter hoc misit Deus Angelum suum qui est super bestias, ... et obturavit os eius (bestiae quae Hermae apparuerat), ne te dilaniaret ». Cf. et Origenem in Numeros hom. 14. Damascenus L. II. c. 3. « Angeli custodiunt partes terrae, et gentium et locorum praesides sunt, ut a suo conditore sunt ordinati; et ea quae sunt apud nos administrant, et auxiliantur nobis »: c. 4. docet Angelum, qui elevatus est contra Deum, fuisse « ex iis angelicis virtutibus eam quae praerat terrestri ordini, et cui a Deo terrae custodia commissa erat: » quod et Iustinus et Athenagoras locis cita-



tis tradunt. Theodoretus Quaest. in Gen. c. 1. q. 4. ut probet Angelos non fuisse creatos ante materiam, ita argumentatur « quo ministerio fungebantur Angeli, qui creationem praecedebant, cum nihil esset quod indigeret opera eorum ? ».

Ad ministerium hoc Angelorum probandum argumentatur Thomas q. CX. a. 1. hoc pacto. Ordo communitatis recte dispositae ita se habet ut inferiora per superiora regantur, quo nexu regiminis unitas maior in communitate obtinetur. Iam vero universus mundus una est veluti communitas omnium creaturarum quae Deo famulantur; Angeli autem sunt creaturae ceteris superiores, Deoque propinquiores: ergo per Angelos creaturae inferiores administrantur. Porro ut doceat s. Thomas quo potissimum spectet ministerium Angelorum quoad naturas corporales, advertit quod etsi omnis natura corporalis habeat determinatum modum operandi, quem necessario sequitur; tamen, quia « proprium corporis est quod non agat nisi per motum », ut actio corporalis existat necesse est corpora tandem moveri ab aliquo spiritu: corpus enim non movet nisi et ipsum iam sit in motu. Spectat ergo ad Angelos movere. Quinam vero sit motus qui ab Angelis imprimitur corporibus difficile est determinare. Iuxta enim doctrinam veterum, ab operatione continua alienius intelligentiae repetebantur motus astrorum, et ab his astrorum sive caelorum motibus ceteros subluarum motus ceterasque corporum mutationes pendere veteres arbitrabantur. Haec autem doctrina a priori conficta est; motus enim astrorum pendet ab eo primo motu, qui primitus certa lege a Deo impressus est materiae corporibusque ex ea formati, qui motus, etsi multipliciter transformatus, iugiter perseverat; unde assistentia necessaria non est alienius exterioris agentis praeter Deum concurrentem et conservantem; natura enim corporalis ad hos motus determinata, necessario in iis perseverat; quia causa est necessaria.

Itaque necessitas ministerii Angelorum pro motibus regendis corporalis naturae demonstrari non potest. Pariter dicendum est demonstrari non posse necessitatem operae alienius spiritus pro administranda natura sensibili, nam et ipsa necessario agit determinata vel ab objectis extrinsecis, quibus afficitur, vel ab instinctu. Remota autem necessitate hac ministerii angelici, non liquet quo ipsum spectare possit.

Nihilominus si cui probabile est conditiones omnes quae ad quosvis motus requiruntur, non reperiri in sola materia ac ordine physico instituto ab initio, atque is putat activitatem alienius agentis exterioris postulari, arbitrari ipse poterit ministerium hoc Angelos explere, atque ita sententiam s. Thomae tueri licebit.

Ceterum pro tuenda doctrina modo recitata Patrum advertere licet quod, cum materia corporalis creata sit in bonum naturae rationalis, atque haec Angelis custodienda sit tradita a Deo, ut videbimus; consequens esse videtur ut Angelis quoque ius quoddam collatum sit eadem materia multipliciter utentii, prout utilitati hominis divinaeque gloriae conducere hic usus potest, secundum beneplacitum divinae voluntatis. Cf. Suarez De Angelis L. VI. c. 17., qui Angelicam ministerium circa regimen universi ad custodiam hominum reducit, propter quem est universus.

II. Certum est enim quod statuimus in prima parte thesis, frequenter Deum uti, in administrandis rebus humanis, ministerio Angelorum. Id evidens fit ex testimoniis utriusque foederis. Quamvis enim in non paucis apparitionibus veteris foederis, cum Angelus Domini apparuisse dicitur, ille, qui repraesentabatur, fuerit Dei Filius, sunt tamen aliae apparitiones, quae Angelis tribuendae sunt, eorumque diversa opera erga homines narrantur. Cf. Genesis. c. XIX; XXVIII, 12; Iosue V, 14; Iudicum XIII, 16; 4 Regum VI, 16. 17; Isaiae VI, 6; Daniel X, 5 seqq. XII, 1. 5 seqq. Zachariae I, 9 seqq. Tobiae XII, 6 seqq. 2 Machab. III, 25 seqq. etc. Item in Testamento novo eadem oeconomia apparet et huc spectant Matthaei I, 20; II, 13. 19; XXVIII, 2 seqq. Actuum I, 11; V, 19; X, 3; XII, 7 seqq. Apocalyp. VIII, seqq. XVI, 1 seqq. XX, 1 seqq. etc. In quibus patet Deum uti ministerio Angelorum tum ad beneficia conferenda hominibus, tum ad poenas infligendas.

Eandem porro oeconomiam deinceps erga homines iugiter perseverare constat 1) tum eo quod oeconomia, qua nos modo Deus regit, sit continuatio illius, qua in Novo Foedere exhibetur; tum ex iis, quae in Apocalypsi narrantur, quae ad futuras aetates spectant. Constat 2) ex testimoniis Patrum qui id discrete testantur, quique invocandos esse Angelos docent, ut per eos a Deo beneficia impetremus. Ita Origenes cont. Celsum L. VIII. « quod si multorum etiam favor captandus est, discimus in nostris literis, quod millia millium assistebant ei, et myriades myriadum ministrabant ei: quae multitudo, quam videt homines suam erga Deum pietatem imitantes, adjuvat eos contentendos ad salutem, et Deum invocantes, interdum apparendo invocantibus, non indignam rem censens, si eis ministraret, magnaue alacritate ac consensu prompto ad gratificandum caelestis numinis invocatoribus, cui et ipsa preces offerre non desinit. Omnes enim hi sunt ministeriales spiritus ultro citroque miscitari soliti, ut eorum ministerio provehantur ad salutem qui salvandi sunt. » Augustinus Enchirid. c. 56. « (Ecclesia tota accepta, non ex parte) in sanctis Angelis beata persistit, et suae parti pere-



grinanti, sicut oportet, opitulatur; quia utraque una erit consortio aeternitatis, et nunc una est vinculo caritatis, quae tota instituta est ad colendum unum Deum. » Sophronius hierosolym. Episcopus in Eneomio SS. Angelorum quod est veluti continuata invocatio, inter cetera, haec habet: « O flecti moverique nescii Principatus... quique tertio Angelorum choro praelati estis: fidi adeste, et quo de infensissimis hostibus triumphem, isdemque ad finem usque imperterritè et sine vulnere resistam, sedulam operam navate. » Ambrosius Serm. De Basilicis non tradendis n. 11. « Angeli si custodiunt, vestris custodiunt orationibus invocati », idque exemplis confirmat. Synodus VII. Act. 6. in fine refutationis eorum, quae ab haereticis prolata erant, ait « Ergo cum timore omnia faciamus, expetentes etiam intercessionem dominae nostrae et sanctae Dei genitricis semper Virginis Mariae, atque sanctorum Angelorum, et simul omnium sanctorum, salutantes quoque colendas eorum imagines, ut eorum sanctitatis participes simus. » Constat 3) ex persuasione Ecclesiae quae se prodit in precibus liturgicis festisque diebus in honorem Angelorum institutis. Constat 4) ex Ecclesiasticis monumentis historicis omnium aetatum, quibus Angelicorum operationum historia continetur. Conferri possunt quae de sua conversione narrat Iustinus in Dialogo cum Triphone; quae in actis martyrum Triphonis et Respicii penes Ruinart memorantur; quae habet Gregorius Thaumaturgus in Oratione ad Origenem, et Athanasius refert in vita s. Antonii; quae Socrates H. E. L. VI. c. 6; quae Bollandiani habent ad diem 5. et 10 Ianuarii, et 6. Iulii; Paulinus in historia s. Ambrosii; atque ita porro in tot Sanctorum historiis; nec praetermittenda est vita s. Franciscæ Romanae. Cf. Augustinum De Gen. ad Lit. L. VIII. c. 24.

III. Praesent Angeli regni, provinciis et ecclesiis. Huc faciunt testimonia Danielis X, 12. 13. 20. 21. Et ait (Angelus) ad me; noli metuere Daniel; quia ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum ut te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua; et ego veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti et uno diebus: et ecce Michael unus de principibus primis venit in adiutorium meum, et ego remansi ibi iuxta regem Persarum... Nunc revertar ut praelier adversus principem Persarum: cum ego egrederer, apparuit princeps Graecorum veniens. Verum tamen annuntiabo tibi quod expressum est in Scriptura veritatis: et nemo est adiutor meus in omnibus his nisi Michael princeps vester. Habes Michaellem principem Hebraeorum, habes Gabrielem faventem eisdem, habes Principem Persarum, et Principem Graecorum. Videntur omnes isti principes esse primi, ex qui-

bus unus dicitur esse Michael. Porro cum Michael, qui et simpliciter dicitur hic Princeps Iudaeorum, sit certe Angelus bonus qui curam gerit populi sancti (XII, 1); aequum est censere ceteros quoque qui cum eo connumerantur, esse Angelos bonos, quibus cura alicuius nationis sit a Deo concedita. Ita sane plures censuerunt Patres, nec aliquid est quod huic obviae interpretationi adversetur. Haud enim abhorret ab indole bonorum Angelorum resistentia et pugna, de qua Gabriel loquitur. Sane pugna quomodo inter Angelos bonos possit existere explicat s. Thomas a. 8. q. CXIII. « Considerandum est quod divina iudicia circa diversa regna et diversos homines per Angelos exercentur. In suis autem actionibus Angeli per divinam sententiam regulantur. Contingit autem quandoque quod in diversis regnis vel in diversis hominibus contraria merita vel demerita inveniantur ut unus alteri subdatur aut praesit. Quid autem super hoc ordo divinae sapientiae habeat, cognoscere non possunt nisi Deo revelante. Unde necesse habent super his sapientiam Dei consulere. Sic igitur in quantum de contrariis meritis et sibi repugnantibus divinam consulunt voluntatem, resistere sibi invicem dicuntur, non quia sint eorum contrariae voluntates (cum in hoc omnes concordent quod Dei sententia impleatur), sed quia ea de quibus consulunt, sunt contraria. » Addi potest quod Angeli diversorum regnorum tutores, dum adhuc divinum decretum eos laet, possunt pro commisso sibi munere velle consulere genti sibi conceditae ita ut quae duo Angeli velint, pugnantia invicem reperiantur. Isidorus Pelusiota L. II. epist. 88. « Quod si dixeris: quoniam igitur modo alter alteri non cedebat? sic respondeam: maxime quidem alterum alteri cessisse; ceterum utrumque divinae legis praesidio munitum fuisse. Alter enim divinum iussum obtendebat, quod ut Iudaei etiam minime respicientes, captivitate liberarentur, sanciebat. Alter autem Iudaeorum flagitiis nitens, iustum esse contendebat eos adhuc in exilio manere. » Patres profecto plures huic interpretationi favent, qui ex eo loco Danielis probant Angelorum praefecturas per gentes et regna distribui. Ita Basilus cont. Eunomium L. III, n. 1. « Quod vero sint quidam Angeli universarum gentium praepositi... sapiens Daniel in visione Angelum audivit dicentem: quoniam princeps regni Persarum restitit mihi; et ecce Michael etc. » et Gregorius M. Moralium L. XVII, c. 8. « Recte dicitur quod contra se Angeli veniunt, qui subiectarum sibi gentium vicissim merita contradicunt. Nam sublimes spiritus eisdem gentibus principantes, nequaquam pro iniusta agentibus decertant; sed eorum facta iuste iudicantes examinant: quorum tamen omnium una victoria est sui super se opificis voluntas. »